

D. D.

25

SPECIMEN ACADEMICUM,
EMPHASIN
SIMILITUDINUM

NONNULLARUM SACRI CODICIS
E REGNO ANIMALI
EXHIBENS,

Cujus PARTEM PRIOREM

Indulgente Amplissima Facult. Philosoph. in Regia A-
cademia Aboënsi,

PRÆSIDE,

VIRO AMPLISSIMO ATque CELEBERRIMO,

D^N. CAROLO ABRAH.
CLEWBERG,

Græc. & O. O. L. L. PROFESS. Reg. & Ord.

Publice examinandam sistit

DAVID P. SIBELIUS,

WIBURGENSIS,

In Auditorio Majori ad D. III. Maji Anno

MDCCLV.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

See Max Chytrau

AUGUST. de DOCTR. CHRIST. Tom. III.
Cap. 16. f. 26.

Rerum ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, cum ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumve rerum, quæ plerumque in Scripturis, similitudinis alicujus gratia ponuntur.

S:æ C:æ

MUSCOVITARUM MAJESTATIS

MAGNÆ FIDEI VIRO

Maxime Reverendo & Amplissimo,

**D_N. M_{AG}. FABIANO N.
GUDSEO,**

Ministerii Ecclesiastici per Diœcesin Fridericiahnensem Rutenorum, Præsuli Reverendissimo, Ecclesiæ Weckelaxensis Archipræposito Gravissimo, Consistorii Ecclesiastici Præsidi Adcuratissimo, Scholarumque Inspectori vigilantissimo,

MÆCENATI SUMMO.

Nullo, aut audaciæ aut adulationis œstro percitus, rutilantis Tui Nominis splendore obfuscissimas hæc pagellas illustrare conor, verum prolixus ille & incomparabilis favor, quo me meosque durioris fortunæ fluctibus jactatos, excipere haud dedignatus es, allexit. Accipe igitur vultu sereno, quæ mens pia & devota in redhostimentum qual-
lecun-

lecunque Tibi offert. Defectum, quem maximum esse intelligo, mitis & benigna interpretatio Tua ut impleat humillimus obsecro. De cetero, me meamque fortunam favori Tuo cernuus commendo. Quod meum est, ad Deum Ter Optimum Maximum, pro Tua Familiæque Tuæ Nobilissimæ perenni felicitate & incolumitate vota calidissima fundere nunquam intermittam. Ero, dum vixero,

REVERENDISSIMI NOMINIS
TUI

MITISSIMUS

MITISSIMUS

Clientis humillimus,
DAVID P. STARK.

Admodum Reverende atq; Praeclarissime

DN. **M**AG. **D**AVID

SE**N**E**S**E,

Ecclesiarum, quæ Deo Lovisæ, Pyttis & Elimæ
colliguntur,

Præposite Dignissime,

Patruæ ut unice, ita ardentissimo
pietatis zelo prosequende.

Quo plura benivolentiæ, beneficiorumque in
me extare voluisti documenta, eo etiam ma-
jori vinculo obligationis pariter ac reverentiæ &
observantiæ memet detineri invenio. Lacte enim
Materno vix submotus, Te Nutritio optimo usus
sum, Te Informatore solertissimo mihi frui licuit,
Te Patrem, post fata Patris carissimi, paternam
plane

plane mei curam gerentem, mihi venerari contigit, Temet largo eruditionis nectare memet sati-
asse, nunquam non pia mente recordor, Te salu-
berrimis Tuis consiliis mihi adfuisse, Te necessita-
ti meæ subvenisse nulla memoria delebit. Nulla
denique oblivio obliterationa erit aurei istius tem-
poris recordationem dulcissimam, quo præfens, ne
unico quidem excepto momento, ore suavissimis, vultu
hilaris, vita moribusque exemplar, optima mihi
virtutis atque pietatis haud fucata incitamenta de-
disti. Nec absens suspiriis, admonitionibus & co-
hortationibus mihi defuisti. Immo tot tantaque be-
neficia Tua in me extiterunt, ut nullus Eloquentiæ
apparatus illa explicare queat. Quid igitur mirum,
si pagellas has, quas a te accepi, iterum tibi red-
dero? In sinu vero mihi gratulor, diem jam illuxis-
se, quo aliquid offerre potuerim Tibi, Patruæ In-
dulgentissime, quod venerationis & observantiæ in-
dex testisque extaret. Quod meum est, Summum
Numen pro Tua, in Nestoreos usque annos dura-
tura incolumitate calidissimis precibus fatigare non
desistam. De cetero, memet eodem prosequaris amo-
re, quo hætenus, est quod humillimus obsecro, per-
mansurus usque ad ultima suspiria

NOMINIS TUI

humillimus cultor,
DAVID P. STARR.

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,

**D^N. A N D R E Æ
G I O E S,**

Ecclesiæ, quæ Deo in Joutzenes colligitur, Pastori
Vigilantissimo,

Ut ante hæc Informatori Fidelissimo,
ita jam Affini Exoptatissimo.

NOtam ingrati facile inirem, ni tot tantaque favoris Tui
pariter ac amoris plane singularis in me documenta
publice deprædicarem. Orbatus enim Parente carissimo, tem-
pore fatis funesto belli, studiorum meorum directorem, vel
etiam Tuo cum incommodo, solertissimum temet præbuisi.
Nec deinde mihi defuisti: sed consiliis, cohortationibus,
incitamentis ad studia, nec non in rebus quibuscunque a-
liis, adfuisi. Quid vero pro tantis Tuis in me meritis
Tibi referam? Accipe, cum alia desint, vultu sereno o-
pusculum hoc, quod signum devotæ & nunquam intermo-
rituræ pietatis meæ in Te esse volui Calidas denique pro
Tua Tuorumque felicitate sempiterna, preces fundere ad
Supremum Numen nunquam intermittam, permanurus

NOMINIS TUI

Cultor addictissimus,

DAVID P. STURGEON.

To
The Honourable
Mr. MAGNUS
GIOESLING,
My tender Uncle.

To
The Honourable
Mr. JOBST
FABRITIUS.

To
The Honourable
Mr. JOHN
BRUN.


To
The Honourable
Mr. HEINO E.
BRUN.

Nothing is more reason, than to be thankful towards his Benefactors; but to do it, when the Power want, is so much arduous, as the old Saying always is true: God, our Parents and our Masters can never be requited. Having partook of Your, Gentlemen, as great and many Favours, that a Parent hardly cou'd shew his Children, I am there fore so much more ingaged, to do it. Bus wanting for nothing more than the Power, I beg You, Gentlemen, to look upon this Papers, as a Mark of my Thankfulness and my most humble Sense of that Duty, where with I have the Honour to remain,

GENTLEMEN,

Your most humbles and most
obedient Servant,

DAVID P. SZNER.



I. N. 7.

§. I.



Ensis mentem humanam obdu-
ctam esse tenebris, quibus in re-
bus percipiendis & ratiociniis for-
mandis impediuntur, miserum in
modum, occæcanturque mortales,
nemo nostrum est, qui tristi
experientia quotidie edoctus,
non ultro fateatur. Si enim vel ætatem, vel ani-
mæ facultates, intellectum puta & voluntatem, vel
etiam officia homini injuncta respicias, cuncta nævis
scatere videbis. Infantia enim imperitia, pueritia
inconstantia, adolescentia imprudentia, juvenus
& virilis ætas præjudiciis, senectusque austeritate
laborat. Intellectus & voluntas suis etiam non ca-
rent vitiis. Prout enim ille non tantum citius per-
cipit ista, quæ nihil ad felicitatem ejus conducunt,
verum etiam in ea, quæ illam prorsus destruunt, ni-
titur: sic & hæc, quæ intellectui subjecta esse debe-
ret, dominium sibi arrogat, & res vix sensibus ob-

jectas appetit, absque prævio consensu intellectus, ubi de bonitate vel pravitate rei iudicium ferendum esset. Officia denique præstat Deo, vel quasi homo esset, qui non cogitationes ejus internas perspiceret, actu tantum illo externo contentus, vel ex timore pœnæ, vel nonnulla præstans, cætera omittit, hæc sufficere existimans, aliis quantum fames lucri & ambitio permittit & sibi met ipsi talia, quæ, si justa lance pensitentur, potiori jure, non officia, quam officia dixeris. His igitur in rebus, cum tantis homo circumdatus sit tenebris, quantæ non erunt in Spiritualibus? quarum non modo si sibi relinquatur, nihil capit, verum etiam illis prorsus reluctatur & pugnam infert, ne tenebris dispulsis collustretur luce cœlesti, ad testimonium Apostoli Pauli I. Cor. II: v. 14. ubi exstat, *ψυχὴς δὲ ἀθεωρῶν ἢ δέχεται τὰ τῆ πνεύματος τῆ θεοῦ* *Μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστὶ, καὶ ἢ δύναται γινῶναι, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται,* & Rom. VIII: v. 7. *τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, ἔχθρα εἰς θεόν· τῷ γὰρ νόμῳ τῆ θεοῦ ἢ χ' ὑποτάσσεται· καὶ γὰρ δύναται.* Quo magis horrendæ istæ tenebræ sunt deplorandæ; cum pro vera, quam obtinere fatagit, felicitate, apparentem amplectatur, unde fit, ut vel ideo æternam ei accelerent perniciem, quod ipsemet illas depellere nullo modo possit. Medii proinde ad has disjiciendas mentis nostræ tenebras cum opus esset efficacissimis; hoc præstitit potentissimum Numen pro sapientia sua summa misericordiaque plane gratuita, dum in S. Codice quo e tenebris in lucem vocaretur homo, quique

lucer-

lucerna pedum illius esset, stilo utitur plano & perspicuo, sed variis insignito Emphasisibus. Hæ nimirum, multis in locis Scripturæ Sacræ obviæ, id efficiunt, ut gradum pius lector aliquantisper sistat; penitus perpendens veritates ibi oblatas, & implorato auxilio Divino, lux rebus sublimioribus accendatur, & sic animus antea durus & pertinax, efficacius admiranda hacce luce cœlesti moveatur, & ceræ instar liquefcat. Hinc de verbo Dei notanter Paulus loquitur Hebr. IV: v. 12. Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τῆ θεῆ, καὶ ἐνεργῆς, καὶ τοιαῦτα ὑπὲρ πάντων μάκαρην δίξουμον, καὶ διειρημένον ἄχρη μερσιμῶ ψυχῆς το καὶ πνεύματ, ἀριῶν το καὶ μυελῶν, καὶ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἰσχυρῶν καρδίας. In eo igitur constituti, ut Emphasisin Scripturæ in similitudinibus nonnullis ex regno animali petitis occurrentem, monstremus, in antecessum tuam L. H. benevolentiam, quo decet studio, expetimus, perofficiose rogantes, ut ingenuos conatus nostros mitiori perstringas censura.

§. II.

Emphasis, si vocis originem spectes, est significatior sensus repræsentatio, id enim significat εὐφάνειν, scilicet ante oculos ponere, repræsentare, unde Emphasis, *repræsentationem rei vel sensus efficaciore* denotat, si scilicet scriptor de industria ejusmodi vocibus & constructionibus utatur, quæ rem vividius exprimant, & quasi oculis conspiciendam sistant, ut lector attentior redditus, altius in mentem ipsius penetrare queat. Quod rem i-

psam attinet, Emphasis est *magna quædam & singularis vocum non tantum extra, sed etiam intra contextum; quæ maxime consideratarum, vis & efficacia ad mentem & voluntatem auctoris eo facilius indagandam, clariusque explicandam, comparata.* Si hæc ad Scripturam applicentur Sacram, statim patet, quid Emphasis ejus sit. Dividitur in *verbalem*, quæ in verborum, vel separatim vel conjunctim sumtorum, efficacia conspicitur, & *realem*, quæ in rei ipsius vocibus expressæ vi ac pondere singulari cernitur. Hæc vero duæ divisiones adeo arcte inter se coherent, ut unam absque altera vix intellexeris, quo tamen non negamus illas seorsim tractari posse.

§. III.

Quemadmodum autem Emphases non ex eodem omnes fonte profluunt; ita & diverso respectu, revocari ad classes diversas non incommodè possunt. Sic in lingvis, quibus Sacri Scriptores usi fuerunt, ingentem Emphasium sylvam suppeditant artis Grammaticæ partes variæ. Habet suas Orthographia, prudenter excussa, habet & Etymologia. Frequenter subministrat ipsa lingvæ Syntaxis, una cum figuris Grammaticis. Quantum accentibus Hebræorum insit momenti, ad evolendum auctoris affectum & orationis Emphasin, docent abunde, qui accentuatoriæ artis præcepta, recentiori in primis ætate, tradidere pulcherrima. In ritibus antiquis, cum sacris, tum profanis, in proverbiiis ac solennibus veterum formulis, in usu vo-
cum

cum & phrasium apud sacros profanosque scriptores vario, in versionum antiquissimarum haud infelici vocum emphaticarum explicatione, vim ac pondus orationis sacrae, perspicere licet, quae omnia artis Criticae limitibus solent contineri. Quin & verborum ordinem & nexum propositionum si perlustremus, & ad regulas Logicas, adhibito sano iudicio, examinemus; multa in Sacris Scriptoribus dictorum pondera oculis nostris semet expendenda sistent. Porro largam Emphasium segetem attento lectori fontes pollicentur Rhetorici. Quum enim scriptores, utpote Divino afflatu ducti, saepius sacris animi commotionibus acti & excitati fuerint; non mirum eos res, singularibus & maxime efficacibus verbis extulisse. Id enim experientia constat, quod quo gravior fuerit affectus, eo fortior sit Emphasis, & eo penetrantiora eligantur verba. Affectibus igitur originem debent tropi & figurae, atque non solum ad ornatum orationi conciliandum; sed & ad pondus imprimis dictorum augendum adhiberi solent. “Ad movendos enim audientium & legentium affectus inventa est non tropica modo, sed & figurata oratio, ut notio aut vividior aut elegantior aut amplior in illorum mente excitetur,” observante Joh. Clerico Art. Crit. Part. II. Sect. I. c. XVI. p. 322.

§. IV.

TRopus ille, quem Metaphoram appellamus, uti reliquorum omnium in S. S. Pandectis maxime

frequens, ita & jucundissimus ac florentissimus inter ceteros instar stellæ primæ magnitudinis eminet, miramque stilo sacrarum literarum *ἐνέργειαν* & evidentiam conciliat. Quemadmodum vero metaphora vocem a genuina & propria significatione ad aliam, sed cognatam, transfert, ob convenientiam, inde hanc quoque illius esse fundamentum, non absque ratione collegeris. Quodsi metaphoram evolvas, similitudinem habebis. Ut enim metaphora *πρότασιν* & *ἀντιπίδοσιν* implicite continet; ita & utramque explicat, evolvit & in majori luce collocat similitudo. Collationem appellat Cicero, quæ ipsi oratio est, rem cum re ex similitudine conferens (a). *παρεβολήν* vocant Græci, idq; eo sensu, quo Clementi Alexandrino notat *λέξις δὲ ἐπιρών τὰ κυρίως λεγόμενα μετ' ἐνεργείας παρεμένουσιν* (b). Unde patet *collationem*, quæ nobis *similitudo* audit, confundendam non esse cum alia parabolæ notione, Scriptoribus S. S. N. T. satis frequentata, dum *comparationem* notat, qua res aliqua, ut gesta adposite fingitur & narratur, & ad aliam rem spirituales adcommo- datur. Estque ejusmodi *comparatio*, plerumque longiuscula, cujus *ἀντιπίδοσις* vel plane omittitur, vel certe tribus tantum verbis adumbratur. Nobis in hac opella, priori sensu, similitudinis accipi vocem, ex ipsa tractatione, facile patebit. (a) L. I. de Invent. Quintil. L. V. c. II. (b) Stromat. L. VI. f. 287.

§. V.

ANtiquissimis temporibus morum præcepta, veritatesque alias, per similitudines inculcare, usu
inva.

invaluisse, veterum monumenta testantur. In primis populi orientis, utpote qui sub calidiore cœlo degebant, tropis & figuris orationem distinguere in deliciis olim habuerunt. Id de Persis, Syris aliisque gentibus evinci facile potest. Neque in desuetudinem apud eosdem hunc morem venisse recentiori ætate, scripta Arabum, Persarum Turcarumque, luculentissime probant. Quis nimirum Haririi Confessus Arabicos, Amadoddini Muhammedis, Koreischitæ Ispahanensis historiam expugnationis Hierosolymitanæ, aut Arabiadis Historiam Timuri legerit, & de hac veritate non vincatur? Quis Saadii Persæ *Gulistan*, h. e. *Rosarium*, vel leviter inspexerit, qui non uberrimam similitudinum, troporum, figurarumque messem facile miretur? De Turcis eorumque scriptis idem esto iudicium. Quodsi floridum illum stilum & variis sub imaginibus res intellectui, cum quadam efficacia pingentem, & olim orientalibus adamatum fuisse, & hodiernum apud eosdem frequentari constat: certe non mirum Sacros Amanuenses cum aliis tropis atque figuris, tum metaphoris & similitudinibus usos fuisse frequenter: præsertim in iis Codicis Sacri libris, ubi concitator affectus orationem variis luminibus distinctam & condecoratam, ad movendos & percellendos efficacius animos, exigere videbatur.

§. VI.

JAm pergimus ad illa, quæ ipsam tractationem nostram propius attingunt, & quidem primo intuitu animadvertimus, similitudines desumi ab omnibus

bus rebus creatis, numerumq; esse tantum, ut nemo huc usque mortalium certos earum limites posuerit. Quod & ipse fatetur Cicero, cum L. III. de Orat. ita loquitur. *Nihil est in rerum natura, unde simile duci non possit.* Et alio loco; *infinitos fere,* ait, *esse Metaphorarum modos.* Nil tamen impedit, quo minus statuamus, illas vel de cœlestibus vel terrestribus deductas esse. De cœlestibus, quod mirabilia hæc Summi Numinis opera, omnibus hujus globuli terrestris incolis sese conspicienda sistant. De terrestribus vero, quod summa maximi hujus artificis opificia, si non omnia, omnibus in locis, saltem vel plerisque, vel quod uni loco deest, in altero reperiatur & vice versa, inveniantur. In classes jam redacturi similitudines, duæ nobis aperiuntur viæ, una, quæ rationem divisionis a subiecto, sive cui rei assimilandæ, similitudo prolata est, desumit, quæque in duas abit partes, quarum altera similitudines, quæ ad Summum Numen pertinent, altera vero, quæ vel homines respiciunt, vel ad res alias terrestres denotandas producantur, tradit. Altera via, ex objecto, seu re, quæ ad alteram in digitandam in medium profertur, rationem divisionis suæ depromit. Hæc vero, vel cœlestia vel terrestria esse, experientia quemlibet docet; adeoque similitudines vel a cœlestibus vel terrestribus elici constat. Posteriores vero hæc cum abeant vel in Elementares vel in Regna Naturæ; similitudines ab Elementis & Regnis Naturæ, quoad maximam partem ducuntur. Regna Naturæ tres in partes dividuntur,

duntur, Mineralia puta Vegetabilia & Animalia, unde jam tres divisiones similitudinum oriuntur, quarum ultimam, quæ similitudines ab animalibus desumptas complectitur, nostram facimus. Hanc vero posteriorem viam nobis sequendam elegimus, quod & propius ad scopum nostrum tendat, & ad Emphasin similitudinum enucleandam aptior esse videatur.

§. VII.

OMnium in hoc stadio primo loco sese nobis offert Leo, quem regem animalium, utpote variis dotibus præ ceteris ornatum, non immerito dixeris. Hic innumeras in sacris præbet similitudines; cum nihil sit in cælo & terra tam sacrum & eximium, & vicissim in terra & inferis nihil tam dirum & infaustum, quod cum Leone non conferatur, prout Bochartus loquitur Hieroz. p. I. L, III. cap. VI. p. 767. col. I: r. 32. Insignis *fortitudo* Leonis similitudines multas subministrat Scripturæ; omnia enim animalia viribus superat, nec ullum tam firmum datur, quod non robori hujus succumbat. Neminem timet, sed omnibus obviam it, & si quando venatorum numero cedere cogatur, sensim & pedetentim recedit, & crebro, rugiens se convertit, ut insectatorum multitudinem dissipet, sicque victoriam reportet. Igitur nec limis quemquam intuetur oculis, sed omni dolo & suspicione caret. Huc accedit, quod ad dormiendum non secedat in loca remota & abdita, sed somnos capiat ubivis, quasi sciret nemi-

B nem

nem esse, qui ubivis sic dormientem excitare audeat. cf. Gen. XLIX: v. 9. Hoc inferunt similitudines, quæ Deum severius castigantem suos vel atrocius in impios animadvertentem, Leoni comparant ut Job. X: v. 16. Thren. III: v. 10. Jer. XXV: v. 37, 38. Ef. XXXI: v. 4. XXXVIII: v. 13. Of. V: v. 14. XII: v. 7, 8. ubi tamen probe observandum, prout etiam omnibus in aliis similitudinibus, ne tertium comparationis transgrediatur collatio, mediam viam semper tenendam esse. Fortitudinis quoque ergo Salvator noster Leo dicitur Apoc. V: v. 5. summam enim victoriam, Diabolo & morte superatis, reportavit. Angeli etiam ob hanc rem Leonum nomine veniunt, robore, generositate & majestate, Dei hostibus terribili, gaudentes. Fideles porro hujus gratia instar Leunculi esse dicuntur, qui conscientia suæ tuti, nil timent. cf. Prov. XXVIII: v. 1. Viri fortes 2. Sam. I: v. 23. XVII: v. 10. Reges Ezech. XXXII: v. 2. Populus Judaicus Num. XXIII: v. 24. XXIV: v. 9. quin & nonnullæ tribus Judaicæ speciatim, ut tribus Judæ Gen. XLIX: v. 9. tribus Gad Deut. XXXIII: v. 20. tribus Dan Deut. XXXIII: v. 22. & urbs Jerusalem Ef. XXIX: v. 1. Leonibus ob hanc fortitudinem assimilantur. De facie Leonis depromitur similitudo I: Par. XII: v. 8. ad indigitandum terrorem, quem fortes hostibus afferunt viri; in formam enim coronæ antiæ sive capronæ ejus in frontem propendent, & pellem, quæ super supercilia est, iratus demittere solet. Hanc *επισκηνιον* adpellat Homerus (c) dicitq; de Leone;

Πάν δὲ τ' ἐπισκύνου κάτω ἔλκεται ὄσσε καλύψῃω

Totum autem episcynium deorsum trahit, oculos tegens.

Cumque deorsum tracto episcynio oculi pars & vultus obtegatur; illud Aristoteles eleganter cum nube comparat. Frequentes proinde in L. Græca & Latina, ad hanc supercilii nubem habentur allusiones, qua nihil est magis terribile in irritati Leonis facie. Unde & Arabes, ut Leonem quintis vel sexcentis titulis decorare siveverunt; ita & eum in hoc statu constitutum variis nominibus distinguere amant, a tetrico & austero vultu, quo summum injicit terrorem. (c) *Iliad. g. v. 136.*

§. VIII.

Rugitus Leonis plurimas similitudines præbet; minimum namque gemitus gravior Ps. XXII: v. 2. XXXII: v. 3. XXXVIII: v. 9. ei assimilatur, propter rugitum animalis hujus, qui valde est sonorus. Quemadmodum enim horrendi Leonis rugitus, audientibus terrorem incutiunt ingentem: ita & hominis graviter afflicti clamores & lamenta sonora horrorem veluti injiciunt, ob flebilitatem. Deus porro malos plectens, vel judicia sua futura per Prophetas prænuntians, Leoni rugienti comparatur, Job. XXXVII: v. 4. Jer. XXV: v. 30. Joël. III: v. 16. Amos. I: v. 2. III: v. 4.; prout enim Leo fremit & rugit, cum prædam ob oculos habet, terroremque injicit, ita & Deus verbi sui rugitu & minaci prædicatione mundum terret, cum homines quodammodo per scelera sua in laqueos ruere, & sibi ex

his quasi prædam paratam esse, animadvertat. Porro, quemadmodum post rugitum Leonis, statim sequitur strages & dilaceratio prædæ, ita etiam Deus, cum sit justus & verax, nequaquam inanibus minis cuiquam obstrepat, sed cito impios est perditurus. Cum rugitus Leonis tantum afferat terrorem, ut animalia, quæ per celeritatem possent impetum ejus evadere, eo audito detenta quasi obtorpescant, & fugere haudquaquam possint; sic etiam tanta vis verbo Dei tribuitur, ut, cum Israëlitæ Prophetas incusarent, quasi malorum prædictione delectarentur, Amos Capite III: v. 8. doceret, se vi quadam *θηλάτω* ad id adigi, ut hoc prædicandi munus nullo modo effugere posset, adeoque si omnes rugitu Leonis moventur, quanto magis Dei mandato ii moveri debent, quos constituit Deus verbi sui præcones? Reges, Prov. XIX: v. 12. XX: v. 2. Impii & hostes Dei, aut fidelium Job. IV: v. 10. & qui tyrannicam usurpant dominationem Prov. XXVIII: v. 15. nec non, quibus tanquam ministris iræ suæ utitur Deus hunc ipsum ob terrorem, quem rugitus affert, haud raro Leones rugientes appellantur. Diabolus denique adversarius noster infestissimus, Leoni rugienti, & qui obambulat, quærens quem devoret I. Pet. V: v. 8. similis esse dicitur; prout enim Leo, prædam animadvertens, gravissime rugit, illique valde inhiat, quo animalia, licet in conspectum nondum venerint, horrore percutiat, ut eo facilius capere & devorare possit, quod præcipue Leones antiqui faciunt:

ciunt: tam quoque avide antiquus hic seductor hominibus inhiat, & si peccatores securos inveniat, tantam diffidentiam gratiæ Divinæ illis injicere cupit, ut penitus de illa desperent, sicque ab illo devorentur & in æternum perdantur. A rugitu Leonis desumptæ similitudines, in Codice Sacro frequentes, quo intelligantur melius, quatuor illa etiam obiter notanda vocabula, quibus hunc exprimere solent Hebræi. Nimirum I:º מִשֵׁן de Leone proprie adhibetur, notatque vocem ejus maxime sonoram & formidabilem. II:º נִרְעָה de Leunculis כַּפִּיִּי & minus importat, quam מִשֵׁן. Quin etiam de fremitu maris cf. Prov. XIX: v. 12. XX: v. 2. it. Ef. V: v. 30. Sic III:º quamvis rarius e. g. Jer. LI: v. 38. usurpant verbum נִעַר, quod proprie est rudere. Demissiores vero sonum, qualem edit Leo, prædæ suæ jam compos, exprimunt IV:º verbo הִגָּה quod meditari, mussitare significat. cf. Ef. XXXI: v. 4.

§. IX.

AD os Leonis jam nos vertimus, eique loco nuper citato Petri, atrocitatem conferri Diaboli observamus; Leo enim, cum per sylvas obambulat, prædamque invenit, horrendum edit rugitum, impetuque facto capit & ore suo vasto & immani statim illam devorat: licet quandoque non sit minimorum animalium. Similiter crudelis adversarius noster Ζηῆς ὁ ὄν ἰσα κατὰ τὴν, datque operam, ut homines, si possit, præcipites in orbem dejiciat. Potentes

tes quoque ori Leonis comparantur Ps. XXII: v. 22. 2. Tim. IV: v. 17. Apoc. XIII: v. 2.; prout enim præda de ore Leonis difficillime eripitur, tam etiam difficulter manus potentium evadunt, qui in eas semel venere. Potentes, nec non peccatum, dentes Leonis appellantur Joël. I: v. 6. Apoc. IX: v. 8. Job. IV: v. 10. Ps. LVIII: v. 7. Sirach. XXI: v. 3. Cum enim dentes omnium animalium ossa reliqua duritie, firmitate & soliditate longe superent: Leonis autem ossa tanta sint duritie, ut nullam medullam habeant, aut fere nullam, unde ex iis collisis ignis, tanquam ex silice, elicitur; quanto igitur duriores non erunt dentes ejus, præcipue molares, qui majori adhuc soliditate & duritie gaudent? Quemadmodum vero cuncta, cum tanta vis dentibus illorum insit, quæ illis objiciuntur frangunt Leones; sic & potentes omnia pedibus proculcant & peccatum animas hominum perimit. Porro, ut nemo fere dentes Leonis destruere & avellere potest; ita difficile etiam est, hostes & adversarios absque auxilio Dei superare. Ob hanc ipsam duritiem ossium, potentes etiam manibus Leonis conferuntur; quibus pedes ejus anteriores communiter intelligunt Scriptores Sacri; integrum enim animal uno ictu dilacerat. Leonum denique nomine impii veniunt Es. XI: v. 6, 7. non quatenus ferinam naturam habent, sed ut ii, qui per vim Spiritus Sancti illam exuunt, & convertuntur in oves, quique olim Leones fuere ferocissimi. Impii propter astutiam Ps. XVII: v. 12. CIV: v. 22. Leones appellantur;

tur; prout enim Leones, maxime cum senuerunt, propter senium dentiumque imbecillitatem venari nequeunt, sed in lustro, quod vel in antro, vel in vepretis, vel in densis arboribus habent, tanquam in insidiis latent, indeque erumpentes in animalia prætereuntia insiliunt, illaque devorant; sic & impii insidias struunt, ut pios illis capiant.

§. X.

Hisce vero dotibus armisque a natura instructus Leo ad victum comparandum, in perniciem pecorum aliorumque animalium utitur, venationi assidue intentus. Ab iis proinde, quæ ad venationem & rapinas Leonum spectant, cum non pauca desumantur in Scriptura Sacra similitudines; earum quoque præcipuas verbo tangere & evolvere placet. Ut prædam eo facilius assequi possint, in insidiis latere solent, quo pertinet verbum יָאֵר, יָשַׁב, רָכַץ & צָפַן. Hinc & peccatum ad ostium excubare dicitur, insidias homini Leonis instar struens Gen. IV: v. 7. Impius etiam Ps. X: v. 8, 9, 10. vividis coloribus depingitur, Leonis instar innocenti insidiatus. Sedet in insidiis יָשַׁב בַּמְאֵרָה ait Psaltes, & versu sequenti יָאֵר. Item; oculos ejus, quod attinet, in pauperem ac præsidio destitutum illi sunt intenti & absconditi. cf. Ps. XVII: v. 12. Similis est Leoni, qui prædam adpetit & sedet in latibulis, cf. etiam Thren: III: v. 10 it. Sirac. XXVII: v. 11. Variæ vero cum sint Leonum latebræ, hinc plura illarum nomina emphatica satis sub-

subministrat codex Hebraeus e. g. מעון, מסתר, חורים, טעונה, סכך, סך, סכה, &c. Ex hisce latibulis in prædam exsilit ac erumpit Leo. Sic e. g. Dan Leoni exsilienti de montibus Basan confertur, Deut. XXXIII: v. 22. vel ascendit ex humilioribus & perplexis locis, ut Jer. IV: v. 7. כַּאֲרִיָּה עָלָה מִסִּבְבוֹ ascendit Leo e perplexo lustro & cap. XLIX: v. 19. כַּאֲרִיָּה יַעֲלֶה מִגְּבוּל הַיַּרְדֵּן ascendit, sicut Leo ab elatione Jordanis, h. e. ripa nemorosa Jordanis, crescentibus aquis tempore messis; ibi namque in arundineto lustra esse solent, etiam hodie, Leonum. cf. Hieronymum ad Zachariam & cap. XI: v. 3. it. Joan. Phocam in descript. loc. sanctor. apud Relandum Palæst. p. 274. qui & ipse ad testes אֲרִיָּמִים provocat, quorum fide novimus, salices, tamariscos, agnum castum & cannas ingentes ad ripam Jordanis crescere. Huc spectant, quæ de arundinetis Jordanis referunt Maundrellus & de la Valle apud Relandum l. c. Sic & Ammianus Marcellinus, inter arundineta, ait, Mesopotamiæ fluminum & frutesca, Leones vagantur innumeri, clementia hyemis ibi mollissimæ, semper innocui. (d)

(d) Lib. XVIII.

§. XI.

PRædæ compos factus Leo, dentibus ossa frangit, carnem & membra ungvibus dilacerat, cor, delicias suas præcipuas, rimatur, sanguinem bibit, quæ palato sapiunt, comedit & reliquias in lustrum sibi suisque asservandas deportat. Sic Deus dicitur morbo, ut Leo, confringere ossa hominis Ef.

XXXVIII.

XXXVIII: v. 13. id est, enervare, debilitare, robur ac vires penitus dejicere. Ossa namque virium hominis symbola esse, notissimum. Adhibetur autem l. e. verbum יִשַׁר in Conjugatione Piel, majorem habens ἐνέργεια, ac in conjugatione Kal, quæ I. Reg. XIII: v. 26. reperitur, ubi proprie de Leone usurpatur, Prophetam frangente & occidente. Illi verbo substituitur Dan. VI: v. 24. הִרְיָקוּ i. e. comminuerunt Leones omnia ossa eorum: hoc nimirum idem valet, ac in partes tenuiores contèrere, in pulverem redigere. Porro, ut Leo unguibus discerpit carnem & membra: ita & hostis dicitur animam divellere, Ps. VII: v. 3. ubi est verbum פָּרַק פֶּרַק שָׁרֵר fere synonymum, cf. Gen. XXVII: v. 40. Exod. XXXII: v. 2. hoc tamen cum discrimine, ut unum notet avellere carnem ab ossibus, membrum ab alio divellere, alterum potius ad ossium fractionem, sit referendum. Sic & Deus minatur se more Leonis, adgressurum homines immorigeros, Os. XIII: v. 8. *Dilacerabo* אֶקְרַע ait, claustrum cordis eorum (scilicet ut discinditur vestis) & comedam eos, ut Leo. Quibus verbis respicitur ad morem Leonis, animalis vel hominis occisi cor appetendi. Id nec veteribus ignotum, ut erudite observat Bochartus Hierozoic. P. I. L. III. c. II. p. 741.

§. XII.

Commodum se nobis, hoc loco, sistit evolvenda tot eruditorum dissidiis illustris similitudo, qua

Messias Pf. XXII: v. 17. hostes suos Leoni confert, sequentibus verbis **כִּי סִבְרוּנִי כְּלִבִּים עֶרְתָּ טְרָעִים** **כִּי סִבְרוּנִי כְּלִבִּים עֶרְתָּ טְרָעִים** Materia litis est in primis vox **כִּי** de cuius cum lectione, tum sensu, acriter fuit disputatum. Voluere nimirum nonnulli, legendum **כִּי**; alii rursus **כִּי** propugnant. Priori lectioni versio Alexandrina favere videtur, quæ **ὡς** habet, ut suspicari liceat, priscis jam maxime temporibus, & ante Christi ætatem, quosdam codices **כִּי** legisse. Verum minoris eam lectionem pretii, & viliorum codicum, vel ideo fuisse crediderim, quia postea in Masoram Judæorum atque codices post Tiberiensium ævum, sive scriptos, sive impressos, vix ac ne vix quidem irrepere (quamvis rarissime) potuit. Unde colligere pronum est, criticorum iudicio, qui in ea gente priscos contulerunt codices, fuisse reprobata. Nec tanti **כִּי** faciendum esse suffragium existimaverim, cum & alibi adpareat, iis sive notitiam lingvæ Hebraicæ, sive adcuratos codices defuisse. Chaldaicam vero paraphrasin qui inspexerit, deprehendet, ita hoc comma vertisse, ut absque dubio **כִּי** legisse antiquissimum huncce interpretem arbitremur. In reliquis versiones antiquas, immo & versionem beati Lutheri, ex Alexandrina serpsit altera lectio, quod aut LXX. Senum in vertendo magis, quam textus authenticæ rationem habuerint, vel saltem benignum adjecerint calculum eorum sententiæ, quam Christianis patrocinari magis opinabantur.

§. XIII.

Lectionis כְּאוֹרֵי veritate sic pro viribus demon-
strata, ad sensum hujus vocis & commatis e-
ruendum accedimus. Sic autem exprimendum cen-
semus; *Quia circumdederunt me canes: cœtus mali-
gnorum cinxerunt* (perforarunt) *me; sicut Leo cin-
xerunt* (perforarunt) *manus meas & pedes meos.*
Vocem כְּאוֹרֵי sicut *Leo* reddendam esse, postulant
antecedentia & consequentia hujus psalmi; Messias
enim heic hostes suos septies bestiis assimilât, ni-
mirum v. 13. *tauris multis & validis Basanitidos ju-
vencis* v. 14. *Leoni discerpenti & rugienti*, hoc ver-
su *canibus* v: 22. *Leoni ac Rhinoceroti*, & ipso hoc
commate, quod præ manibus est, *Leonibus*, ut sic
eo vividius ob oculos ponat feritatem horrendam,
quam exercuerunt Romani milites, dum ipsum in
crucem agerent, & circumdantes cruci adfigerent.
Quemadmodum enim Leonis horrendi dentes ac
ungves conspirare solent ad perforandum & lace-
randum ossa & membra hominis vel pecoris; ita
& cœtus malignorum i. e. Romani, impellentibus
Judæis, circumdederunt & cruci affigendo miserum
in modum perforarunt manus pedesque Salvatoris.
Notio igitur perforandi heic non a כְּאוֹרֵי sed a vo-
ce הקִפּוֹ desumenda. Hæc, quia duplicem admittit
originem, rad. scilicet יָקַף *circumdedit*; vel rad.
נָקַף *perforavit*, duplici etiam sensu reddi potest.
Prior magis congruit priori parti hujus commatis,
ubi est סִבְכוֹרֵי: posteriori favent versiones antiquæ,
in primis Targum, in quo est אִרְי וּרְגָלוֹ.

Quamcunque vero demum prætuleris; salva erit similitudo a Leone desumpta, quam nos heic urgemus. Repetatur modo post Atnach הַקִּיפוֹר quales ellipses in codice Hebræo dantur quam plurimæ. cf. hujus ipsius Psalmi vers. 21. Pf. LXIX: v. 33. Deut. XI: v. 26, 27, 28. inprimis Pf. CXXXVI: v. 4, 5, 9, 20. &c.

§. XIV.

A St, inquis, cur non potius כַּרְי pro plurali apocopato habes, a rad. כּוּר vel כַּרָּה ? Sic enim salva lectionis puritate, cum versione כַּרְי nostra conspiraret amice. Fateor placuisse id eruditorum non paucis, & inter eos Aug. Pfeiffero, Joh. Henr. Michaëlis, aliisque. Sed pace tantorum virorum, observare sequentia momenta liceat. I:o Radix כּוּר , cujus deperdita notio L. Arabicæ ope pervestiganda, significat non *fodere*, sed *convolvere in rotundam formam*. II:o Vox כַּרָּה si Guffetio fides habenda, *parandi* notionem admittit, in omnibus Codicis Hebraici locis. III:o Pluralia apocopata in lingua Hebræa dari saltem nondum validis argumentis esse probatum arbitror. Nec enim dubitandum, omnia, quæ pro illis adferri solent exempla, analogice exponi posse. Sic 1. Sam. XX: v. 38. cf. v. 36. & 37. it. 2. Reg. IX: v. 24. it. 2. Sam. XXII: v. 44. &c. &c. Reliqua quæ huic expositioni obijci possent, nos instituti memores, & ad alia pergentes, jam missa facimus, ab aliis dudum fatis excussa.

§. XV.

§. XV.

Leonem excipit Cervus, hujusque nobis primo obveniunt pedes, quibus Psalmista 2. Sam. XXII: v. 34. & Pf. XVIII: v. 34. Deum semet similem facere, & Propheta Habakuk, Prophetiam suam finiens, Deum facturum fore dicunt; his namque maxime valent, durissimamque habent ungulam & sonoram æris instar, quamobrem etiam æripedes passim ab antiquis appellantur. Adeoque propter inconcussam pedum & incessus firmitatem per prærupta rupium secure gradiuntur, rarissimeque vacillant. Proinde, ut Cervi certos, ob hanc ipsam firmitatem pedum, faciunt passus; sic etiam Psalmista & Propheta, per auxilium Summi Numinis, pie beateque, ne in peccata labantur, vivere semet posse ajunt. Sic etiam, ut Cervi, pedum firmitate & ungulæ duritie, loca prærupta & altissimas rupes conscendunt, ibique ab insidiis ferarum & venatorum tuti esse solent: ita & pii, per Dei gratiam, in rupem illam summam, & quavis rupe altiozem, fide se recipere possunt. Deum nimirum ita vocari sæpissime, res est notissima. Sic Pf. XVIII: v. 3. יהוה סלעי Jehova rupes seu petra mea, fir-
mior & altior, quam omnis terræ Canaan, vel totius mundi petra, quæ alioquin ob præcipitia, difficilesque aditus, tutas latebras præbet. Similiter צורי l. c. v. 3, 32, 47. &c. rupes mea inaccessible Deut. XXXII: v. 4. אהסה כן in quam confugiens de salute mea sum certissimus. צור מעון & צור מעון petra roboris & domicilii Pf. LXXI: v. 3. Hinc

notanter Pf. XVIII: v. 38. מי ציר זולתו אלהינו
 quis petra scilicet ita immutabilis, insuperabilis &
 salvifica, præter Deum nostrum? Proinde exaltare
 in Cod. Sac. valet in tuto collocare, &, ut Cervi
 pedum ope in loca altissima se elevant: ita Psaltes
 de Deo, יעמידני על במותי in excelsis meis ac
 tutis & inaccessis me constituit. Hinc quoque pen-
 det, quod Esaias cap. XXXV: v. 6. dicat claudum
 salire, ut Cervum. Notum enim, Cervum valde a-
 gilem esse in saltu, ita ut capras feras salire e sa-
 xo pedes plus sexagenos, doceat Varro rust. L. II.
 c. I. & testetur Gesnerus, Cervum, prope Franco-
 furdiam, uno saltu interstitium sexaginta pedum
 transiliisse. Nec minor cursus celeritas, ut in pro-
 verbium abierit; Unde; *vinceretis Cervum cursu*,
 Plaut. Futurum igitur, ait Esaias l. c., ut claudus,
 vel naturaliter, vel spiritualiter talis, prior ad sani-
 tatem pedum, & posterior ad sanitatem animæ re-
 diret, cum in carnem venturus esset Christus, hu-
 jusque gratia exsultaret, nec non fideles propter
 gratiosam ejus inhabitationem gaudio perfunderen-
 tur. Salomo Cant. c. II: v. 8, 9. sponsam infert,
 salientem super montes, subsultantem super colles,
 instar capreæ aut Cervi; ut indiget progressum
 advenientis ad sponsam dilecti, non tantum lætum
 & alacrem, sed & celerrimum minimeque vel im-
 peditum vel obscurum. Huc accedit quod sponsa
 Cant. VIII: v. 14. loquatur: Fuge dilecte mi, & simi-
 lis esto hinnulo Cervorum, supra montes aroma-
 tum currenti. Quemadmodum enim pernicitas cur-
 sus

fus Cervorum, præcipue hinnulorum, qui propter absentiam matrum metu perculsi sunt, est agilissimus & incomparabilis, ita quoque celeritate maxima fideles peccata & impiorum consortium fugere jubentur.

§. XVI.

Cervarum agilitatem in oculis habuisse Jacobum, cum tribum Naphthali Cervæ emissæ conferret, inter tot sententiarum divortia, nos quidem affirmare tutissimum arbitramur. Cur vero eapropter laudari hæc imprimis meruerit, ostendere minime proclive. Jonathanis & Hierosolymitani rationes, dum Naphthalimum, ceteris expeditiorem fratribus, patri, Josephum adhuc esse in vivis, nuntiasse primum, memoriæ produnt, etsi majorum traditione niti videantur; nisi inter commenta, vix locum tueri poterunt. Onkelos a sensu fontium discedit longius, ita reddens; Naphthali, in terra optima cadet fors ejus; & possessio ejus faciens fructus. Eodem fere tendunt Græci; *Νεφθαλί σέλεχος ἐπιειμένον* &c. Nimirum, codicibus non punctatis usi, pro *תילת* legerunt *תילת*, pro Cervæ, virgultum: unde *תילת* per *ἐπιειμένον* resolutum, exposuerunt. Porro in verbis sequentibus, pro *ימרי* (imré) *אמרי* (ammiré) i. e. pro verbis dederunt ramos vel germina, quo melius omnia cohærent. Horum & magnus Bochartus vestigia premere, & puncta vocalia, utpote a Masorethis, ex ejus sententia, non semper commode addita, dese-

deferendo, sequentem in modum vertere non dubitat, Naphthali, ut arbor furculosa, (patula ramosa) edit ramos pulchritudinis, i. e. pulchros, eximios. Sic Jacobus hoc loco in primis numerosam Naphthalitarum multiplicationem intendisse, dicendus esset. Verum obstat, quod hanc tribum circa exitum ex Ægypto aliæ, Simeon nempe, Juda, Isaschar, Sebulon & Dan, numero non parum superarent. Quin &, quod caput rei est, quæcunque punctorum vocalium fuerit auctoritas, minime deferenda erit lectio, communi probatissimorum codicum Hebraicorum consensu firmata. Id & ipse ad hunc locum agnoscit Clericus, non magni ceteroquin faciens antiquitatem punctorum. Nos proinde, qui literis ipsis coæva defendimus, salva Codicis S. puritate, versionem LXX. Seniorum admittere haud possumus. Potius calculum laturus est nostrum Vulgatus interpres; Naphthali est Cervæ emissa: dans eloquia pulchritudinis. Quod si quærat, cur Cervæ emissæ affimiletur Naphthali? Scripturam sequi ducem tutissimum erit, unde semper aliquid lucis pio & sedulo scrutatori emicabit. Conferamus scil. Deut. XXXIII: v. 23. cum ibi Mosen pauca Jacobi verba explicasse, dubio careat. Sic patebit, utrobique hunc fere esse sensum; Naphthalitas in tuta atque ubere collocatos regione, exsultaturos svari libertate, similiter ac Cervæ nullis indaginibus conclusæ, agiles & cursu leves, in herbosis amoenisque pascuis libere versantes, exsultim ludunt. Præterea blandis ap-
pel-

pellationibus & humanitatis artibus gratiam sibi conciliaturos apud omnes, ac proinde in summa pace divinis illis donis fruituros, quæ maxima est Dei benedictio. cfr. Andr. Masius ad Jos. c. XIX: v. 35-39. Quamvis autem pacis artibus hæc dedita foret potissimum, tamen ubi res id postularet, simul eam futuram manu fortem & expeditam, ut Cervorum velocitate hostes persequi, aut insidias sibi structas effugere posset, cujus Prophetiæ implementum præbet Barach, ex hac tribu oriundus Jud. IV: v. 15. canticum Deborahæ c. V: v. 1. facundia Jaëlis c. IV: v. 18. potissimum Evangelii dulcissima prædicatio, in Galilæa, tribus hujus fæde, primum facta a Christo, quem hujus regionis incolæ magno numero sequebantur. Huc & illud pertinet, quod Apostolorum nonnulli ex hac tribu fuerint oriundi.

§. XVII.

Cervorum denique maxime notabilis est *boatus*; sic enim de illo loquitur David Ps. XLII: v. 2. Ut Cerva, quæ clamat ad fontes aquarum; sic & anima mea ad te clamat, o Deus. Quid valeat Hebr. קָרָע quærunt eruditi, nonnullis tenentibus, hac voce, Cervorum propria, eorum innui clamorem, sicut שָׁאָן de Leone rugiente וְהִנֵּי de equo hinniente &c. Sed latius patere, constat ex Joëlis c. I: v. 20. ubi bestiis agri in genere tribuitur, quod תַּעֲרָג clament, ob arefactos aquarum alveos. Verum vulgatus habet, *desiderat*, & Chal-

dæus אֲרַגַּג a rad. אֲרַגַּג quam pro אֲרַגַּג & כֶּסֶף
 frequenter ponit Targum. Ita & יִתְרוֹן *Jetuk*, A-
 rabs, i. e. *avide desiderat*, ut Græci ἐπιποθεῖν, a qui-
 bus supra laudati interpretes sua hausisse videntur.
 Sic autem Hebr. אֲרַגַּג cum Græco ἐρέγεται conveni-
 ret. Attamen non nudum desiderium infert, sed
 simul clamorem ex impatienti desiderio ortum,
 quo fertur ad alveos aquarum, uti patet ex par-
 ticula אֲרַגַּג cum אֲרַגַּג mox permutata cf. Joël. c. I. v.
 20. Cum triplicem ob rationem Cervus aquas ap-
 petat, tres etiam rationes in præsto sunt, ob quas
 Psalmista animam suam ad Deum clamare dicat.
 Prima ratio est. Cervus aquosa loca licet siticulo-
 sis præferat, & hinnulus Cervi putetur dictus אֲרַגַּג,
 tanquam ἐν ἔλει διατριβὰς ἔχων in paludosis locis de-
 gens, in arida vel invitatus cogitur secedere, homi-
 num & ferarum metu, quæ ad aquas sæpe se
 conferunt. Petunt ergo inaquosa loca & maxi-
 me solitaria. Unde cum urget sitis, ad fontes fur-
 tim accedunt, ac poti mox se proripiunt, ne bestia
 invadant; ut canis a Nilo bibit & fugit. Sic &
 David, propter inimicos, publicis Ecclesiæ Judaicæ
 conventibus, tametsi anxie eos desideraret, inter-
 esse non potuit, & si quando iis aderat, statim ob
 metum adversariorum fugere, cogebatur. Secun-
 do, Cervus ipsa sua natura valde sitibundum est
 animal, sitimque auget, quod serpentibus vesca-
 tur. Horum enim cavernas odore indagat, & si-
 cubi serpens delitescit, e vestigio subodoratur, sta-
 timque nares ad limen cavernæ admovet, hali-
 tumque

tumque trahit; prodiens igitur serpens in fauces Cervi se ingerit, ille autem obvium devorat. Postea vero veneno serpentino exæstuans, vehementer fitit, & ad fontes festinat, & si trium horarum spatium aqua se explere non potest, moritur: sin autem aquæ potus obtingat, venenum tale nihil ei nocet. (e) Talem semet David etiam dicit esse; veneno enim peccati hæreditarii infectus, quo advenerunt peccata actualia, morti obnoxius erat, & cum nullum auxilium aliunde ei suppetat, Domini valentis illum sanare tantopere efflagitat. Superest tertia ratio, cur Cervi ad aquas clament; nempe, ut a venatorum & canum infectatione se liberent, aut saltem, ut longo cursu defessi recreentur. Sic & David a Saule per nemora & saltus agitated, Dei implorat auxilium, qui illum ab hoc malo liberet, vel saltem onus ejus levet, refrigerium animæ futurus illius unicum, omnibus sub adversæ fortunæ ictibus.

(e) *Epiphan. Physiolog. Cap. V. p. 17. 18.*

S. D. G.



Pereximio atque Præstantissimo
Dn. DAVIDI SEARCK,

Amico in paucis.

Cui contigit ætatem juvenilem, qua nihil de vita recte instituenda cogitantes, ad vana plerumque trahuntur mortales, consumere in discendis artibus liberalibus; hic felix omnino censendus est. Hoc vel Tuo, Amice suavissime, constat exemplo, qui post fata Genitoris indulgentissimi, inde ab ipsa infantia in Patruo tuo venerabili illum invenisti, qui indefessa opera id egit, ut, quibus ipse claret, disciplinis, instructissimus esses. Quantum autem profeceris, docent præter alia præfens dissertatio pulcherrima. Tanta namque eruditione Te ornatum esse hoc Specimine ostendisti, quanta Tua ætas unquam capere potest. Cumque inde a primo, quo mihi licuit amicitiaæ Tuæ confortem fieri, tempore, fide quadam sanctiore me Tibi obstrictissimum reddideris; remisse nimis meas agerem partes, nisi hac occasione gaudium ex profectibus Tuis conceptum, publice testatum facerem. Vetat autem vinculum illud amicitiaæ, quo jungimur, in Tuas meritissimas illas quidem laudes exspatiari. Opto itaque sincero animo, ut ea, qua cœpisti eruditionis virtutisque femita constanter progrediaris, quo sic Reipublicæ prodesse queas, atque solarium & gaudium Matri honestissimæ adhuc superstiti aliisque sanguine junctis, afferre. Faxit Sæpimum Numen, destinata Tua optima, exoptatissimos fortiantur successus, & præmia demum consequantur uberrima. Ero dum vixero

TIBI

Additissimus,
ZACHARIAS CYGNÆUS.

A L' AUTEUR

Monsieur,

LA sagesse & la vertu sont de riches presens qui demeurent lors que tout passe: les autres qualitez sont sujettes au tems; & la raison est que le moindre mal les efface: heureux dont sont les hommes qui possèdent les premières. Voilà justement, Monsieur & Cher Ami, ce à quoi Vous avez pris garde, quand Vous avez entrepris de faire voir, par des preuves de Votre profond savoir, un des plus beaux ouvrages du monde, où Vous depeignez les impressions & vertus des similitudes prises des bêtes. Soyez assuré, Monsieur & Cher Ami, que personne ne peut vous exprimer avec plus de sincerité que moi la satisfaction & la joye que je ressens de me voir favorisé de la fortune par l' honneur de Votre connoissance & amitié; Vous priant même de croire, que les complimens, que je Vous fais, ne regardent pas seulement cette amitié, disje, qui regne entre nous, mais encore la savante Dissertation, que Vous Vous êtes proposé de mettre au jour dans peu, & la quelle selon toutes mes esperances Vous aquerra les louanges & les applaudissemens de tout le monde. De plus Vous saurez que ce seroit avois manque' à mon devoir envers Vous, Monsieur & Cher Ami, si une autre personne que moi eut été la première à Vous féliciter de l' honneur que Vous êtes sur le point de Vous attirer par Vos veilles. J' espere qu' après avoir heureusement fini Vos autres travaux Academiques, le jour arrivera, où je pourrai entendre dire, que Vous êtes du nombre de ceux aux quels Apollon distribue journellement les lauriers & les dignités éclatantes, que méritent & la vertu & la sagesse. Dieu veuille diriger Vos pas, Mon très Cher Ami, & ne regardez ces courtes lignes, que comme un gage de mon zele & de l' amitié
invio-

inviolable que j'aurai toujours pour Votre personne; c'est de quoi, je Vous prie d'être bien persuadé & que je suis tres sincerement,

MONSIEUR

Voire obéissant serviteur

& fidele ami

D. E. HÖRMANN.

Zu dem Herrn AUCTOR.

Sleich wie die Sonne ihren Schein und Strahlen theilet frey,
So thut auch Tugend ins gemein und treibt die Heuchelei,
Sie läßt die Treu, Aufrichtigkeit mit Güte sich beweisen,
Daß sie auf grünen Weide seit ihr Vorzug können preisen.

Da aber die Gelehrsamkeit, der Tugend bietet Hand,
So wachset Freud und Freundlichkeit und füget sie im Band,
Wenn sich der Wiß wie auch Verstand und Wille offenbaren,
Muß bald die Eumheit von dem Land, und zu der Stille fahren.

Za wann ein Freund in solchem Heil auf grünen Feld erblicht
Sein Freund, so ist des Herzens Theil, im Brand und Liebes Pflicht,
Daß er für Freude fanget an, ihm Glück vom Herzen wünschen
Zu treten auf der hübschen Bahn, der Tugends Ehre suchen.

Mein Freund die Probe hat gemacht, durch die gelehrte Sach
So Er ans Licht nun hat gebracht, und verantworten mag
Daß die Exempel so die Schrift, von denen wilden Thieren
Annims, den Nachdruck und die Trift, jeh nimmermehr verlieren.

So nehmt vor lieb mein treuer Freund, daß ich hier gebe still,
Die Zeilchen welche Herzens Freud, im Feder legen will,
Zu gratuliren Euer Fleiß, und Euch versichert machen,
Apollo es erkennen wird, und Eures Glück bewachen.

DAVID H. DEUTSCH-

T. F.

Til sin kære Broder.

Si wi sidst skildes at, at hwar sin lycka søka,
Min wåg den ledde mig fram til en willer skog,
Din saknad mer ån før jag såg min sorg straxt søka;
Min enslighet blef stor och fylde upp min hog.
Når jag om saknan din i denna willmarck talar,
Somt Echo svarar mig från klyfter, berg och dalar.



De kärleks nöjen wi i barna åren skötte
Den menlöshet, som då utgjorde all vår ro,
Af skilnan wår, de å' nu rubbade, kullskötte.
Nyf klätte foglar ha' nu flugit ur sit bo.
Fast nöjen skäcketals mig här skull öfverflöda,
Jag för din saknad dock ser sinnet alltid böda.



Bland flygga djuren där i denne Parc jag wistas,
Jag Sylvan sporde nyf om deras art, natur;
Jag mente, at om dem wål kunde kundskap mistas;
Ach nei, sad' han, märck, at båd stumma ting och djur,
Om HErrans wisshet mæckt, de öfverljudd då tala,
Når annat tiger still, och menn'skan år i dwala.



Lyf, sade han, och til det ljud från wåster höres,
Mig tycks där talas om, hur' liknelser af djur
Uti den Helga Skrift med eftertryck omröres,
Förgåfives foglen ej han qwittrar i sin bur,
Förgåfives ej å' kråk, ej stora djur och hwaldr,
De höija HErrans läf, de om des under tala.

❧ ❧ ❧

Jag hörde detta rörd af blygsel, wördnad, glädie.
 Jag kände måst det ljud, som detta talte om.
 Mit snille will mig ej den förman wäl tilstådia
 At på Parnassen gå; Men dock min Clio kom,
 Kom se om ej min Bror, hafr' detta ämne drifwit
 Jag tror han redan hafr' sit Lærdoms prof utgifwit.

❧ ❧ ❧

Ach, si, det är ju han; dig mycken lycka önskes;
 Din lit må Himlen sielf wälsigna med sin nåd.
 Din Sällhet utaf dygd och wisshet steds må gröntas;
 Din wandel sände of rätt många lyckans båd.
 Ställ i Försynens hand, din lyckas styr och roder;
 Jag är med ömhet stads din goda wänn, och Broder.

St. Petersburg den $\frac{1}{2}$ Mart.

1755.

GUSTAF P. STURER.

